

culo innexæ: diffuderint tamen, & diffundant etiamnum per mutuas substantias facultatum suarum idoneas vires, quibus intercedentibus aliquandiu etiam, quoad ipsæ perstiterint, inuicem iunctæ permaneant. Indicio sunt qualitates secundæ, odor, sapor, color: quas videmus plantis iam contabescentibus easdem penè, quæ vigentibus, insidère. Nam integris præstò sunt. In partes diuisis minuuntur, mutantur, pereunt omnino. Quocirca non pendent ab anima, quæ siccatis ijs, iam euanuit. Non à distinctis partibus. sigillatim, quæ toto distracto, & ipsæ vanescunt. Quid ni ergo à sola partium inuicem iunctarum decenti harmonia? Menthæ, leuistici, aliorumque complurium iam ficcatorum, idem est color, sapor, odor, paucis mutatis. Quod si partium harmonia diuersarum tollatur, vt seorsim diuulsæ abscedant, hæc quidem omnè odoris gratiam amittet: illa verò hanc eximiè possidebit. Huc facit quod Theodorus Zuingerus apud Hippocratem ait: fa-

*De veteri  
medicina  
num. 84.*

pores, & colores, etsi corpori similari toti insint per omnia, in substantia tamen

H pecu-